

sinat ergo vidua suavis, pulchra et jucunda esse vel haberi, quia in luctu et amaritudine est.

IV. Turtur pro cantu gemitum, ut dixi, eumque assiduum habet. Ita orationem pro cantilenis habeat vidua, qua suam desolationem Deo quærule voce commendat; uti monet apostolus in epist. citat. *Quæ autem vere vidua est, inquit, et desolata, speret in Deum, et instet obsecrationibus et orationibus nocte ac die.* Idem indicat Dominus, Luc XVIII. cum inducit viduam quæ iniquum licet judicem et Dei contemptorem assidua interpellatione ad causam suam audiendam permovit. Quia enim viduæ præ cæteris hominibus magis desolatæ et destitutæ sunt hominum subsidiis, idcirco plures et graviores causas habent recurrendi ad Deum per assiduas preces. Unde S. Augustinus, ep. CXXI. cap. XVI. scribens ad Probam viduam, tam liberis quam opibus præditam; « Ora ergo, inquit, ut vidua Christi, nondum habens ejus conspectum, cujus precaris auxilium. Et licet sis ditissima, sicut pauper ora. Nondum enim veras futuri sæculi divitias habes, ubi nulla damna formides. Licet habeas filios et nepotes, numerosam que familiam, quod et supra dictum est, sicut desolata ora; incerta sunt enim omnia temporalia, etiam usque in finem vitæ hujus in nostram consolationem mansura, etc. » Sic Aug. Præterea cum nihil pene aliud diligere deberent præterquam Deum, causam non habent ut de aliis rebus sermocinentur; habent vero multo maxime ut cum Deo agant et negotia sua pertractent. Dum erant in conjugio, excusari poterant, si domi suæ crebrius, quam in templo reperirentur; at postquam eo vinculo expeditæ sunt, nec alium sponsum præter Deum habent, cum hoc frequentius agere et in ejus versari domo deberent. Quemadmodum enim ferrum præsentem adamante nequit a magnete attrahi: (quia scilicet adamas impedit) adamante tamen remoto, mox insilit in magnetem; ita etiam viduæ si viventibus eorum maritis, non poterant ita uniri cum Deo per orandi studium, ut semper ei adhærent (quia scilicet mariti obstant) iis tamen per mortem remotis, nulla subest causa, quæ ipsas ab intima cum Deo conjunctione sedulaque oratione retrahat; hujusmodi ferrum erat Anna nostra, quæ demortuo marito mox insiluit in celestem illum magnetem, Deum, eique adhæsit semper. « Nec discedebat de templo jejuniis et orationibus serviens nocte ac die » inquit Evangelista.

V. Turtur pennas gerit subcinericii coloris. Talis ergo sit vestitus etiam viduæ, non multicolor, non levis, non pretiosus. Sed pullus,

vulgaris, cinerem et pœnitentiam redolens, luctum spirans. Ratio est, quia faciei nitor vestiumque ornatus ideo vel suscipitur vel toleratur, ut conjugii conjux placeat. *Qui, ait Apostolus, I. Cor. VII. cum uxore est sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori et divisus est. Et mox: Quæ nupta est cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro.* Vidua autem virum non habet; quorsum ergo se operosius elegantiusque fingat, ornet, comat? Nonne una cum marito omnem istiusmodi ornatum sepelire debuit? Ita fecit Salvina vidua, ad quam scribit S. Hieronymus: « Tu in mariti tumulo sepelisti omnes pariter voluptates, litam purpurisso et cerusa faciem super feretrum ejus lacrymis diluisti: pullam tunicam nigrosque calceolos candidæ vestis et aurati socci depositione sumpsisti. » Loquor autem de vidua, quæ nuptias iterandas non cogitat. Hæc enim si placere alteri viro non quaerit, ad quid se ornat? Si vinum vendibile non habet, cur suspendit præforibus hederam? Si quod in foro vendat, non habent, cur erigit officinam? Suspectam ergo se reddit vidua, si cultior incedat, quod carnem adhuc venalem habeat; et quidem ad fallendos emptores, quomodo Thamar vidua depositis viduitatis vestibus induit meretricias, ut Judam socerum suum ignota in amores suos pelliceret traheretque incautum, uti factum Gen. XXXVIII. Et similiter illa Jezabel; quæ cum esset vidua, depinxit oculos sibi et ornavit caput, ut Jehu in regem electum ad se alliceret. IV. Reg. IX. Verum et ista mox de fenestra dum hæc ageret, præcipitata est, canibusque in prædam data, et illa rogam vix evasit. Ab his ergo resiliat prudens vidua; ad Juditham se convertat, quæ turturis instar vestitu viduali et subter eum cilicio utebatur assidue, id est, semper, præterquam in sabbatis et festis domus Israel, cumque oraret, cinerem super caput suum ponebat. Judith. VIII. et IX.

VI. Turtur morticinio non vescitur, sed pro victu suo paucula grana quaerit eaque in locis mundis colligit, ut scribit Anglicus sæpe d. loco. Hanc etiam dotem nisi in viduabus requireta postolus, non scripsisset loc. cit. de vidua, *Quæ in deliciis est, vivens mor tua est.* « Immodicæ enim deliciæ, (inquit Theodoretus) rationem obruunt et efficiunt ut in corpore tamquam in aliquo sepulchro jaceat. » Sophocles gulosum taxans: « Non arbitrator hunc vivere, inquit, sed cadaver judico. » Ergo victus viduæ tenuis et moderatus sit; deinde etiam mundus, ne videlicet iis constet quæ carnem inflammare ad immunditiam possint. Propterea S. Ambrosius, l. de viduis scribit de Judith loquens: « Adver-

titis quantum nocere possit mulieribus ebrietas, quando viros vina sic solvunt, ut vincantur a feminis. Esto igitur vidua temperans, casta primum a vino, ut casta possis esse ab adultero: nequaquam te ille tentabit, si vina non tentent. Nam si Judith bibisset, dormisset cum adultero, etc. » Sanctus vero Hieronymus carnem etiam eis dissuadet: scribit enim ad Salvina: « Comedent carnes, quæ carni serviunt, quæ maritis alligatæ generationi ac liberis dant operam: tu vero quæ in tumulo mariti sepelisti omnes pariter voluptates, nihil habes necesse aliud, nisi perseverare in jejuniis. » Turtur circulum nigri coloris, quasi anulum in collo gerit, sit is monumentum sobrietatis et jejunii viduabus, ut non quævis alimenta in guttur suum admittant, sed sana et moderata. Hunc in collo suo gessit Anna nostra, quemadmodum et Judith, quæ perpetuis jejuniis assuetæ erant. Ita omnino fiet ut instar turturum in templo gloriæ offerri Deo mereantur, etc.

CONCIO V.

MYSTERIA.

Quomodo Joseph Christi pater? — II. Cur benedixit Simeon parentibus Christi? — III. Quomodo Christus positus in ruinam multorum? — IV. Quomodo Christus signum contradictionis? — V. Quis gladius Deiparæ? — VI. Quomodo crevit Christus infans?

THEMA.

Erant pater et mater ejus mirantes super his, quæ dicebantur de illo, Luc. 2.

Magna esse debent et profundissima arcana, quæ sapientibus et philosophis admirationi sunt. Sapientissimi fuerunt Joseph et imprimis conjux ejus Maria, utpote a Deo in plurimis edocti; et hi tamen in hodierno evangelio mirantur ea, quæ audiunt de Christo prædicari a S. Simeone. Ea enim licet ante sibi perspecta essent, tam eximia tamen et sublimia humanamque virtutem excedentia erant, ut etiam cognita admirationem parere possent. Hæc igitur et alia admiratione digna, quæ in hodierno dicuntur evangelio, nunc indagabimus.

I. Quomodo Joseph vocatur Christi pater, cum ab ipso progenitus non sit? Respondet primo S. Hieronymus, in cap. XXVIII. Jerem. quia communi hominum opinione talis habebatur. Idem indicat S. Lucas, c. III. de Christo loquens: *Ut pulabatur, inquit, filius Joseph.* Respondet secundo Origenes, hom. XVI. in Lucam, quia erat Christi nutritus. Respondet tertio adhuc potiori ratione vocari Christi patrem; quia erat maritus Deiparæ, proinde etiam jus habens in ejus filium, qui jus habuit in

ipsam ex lege conjugii. Ut enim dominus fundi jus habet in omnes fundi fructus, ita Joseph in Deiparam ejusque Filium. Excepta ergo carnali generatione, habuit perfectam patris potestatem, sollicitudinem et amorem, et quodammodo auctoritatem in Christum, qui eidem etiam velut optimo et dulcissimo patri sponte se subjecit. Quis ob tantam Dei Filii demissionem non obstupescat? Deus subicitur homini, homo imperat Deo. Quis audivit talia?

II. Quare benedixit Simeon Christi parentibus? Resp. prima benedixisse, id est, gratulatum et fausta omnia imprecatum esse, quia vidit illos præceptum Dei, de præsentando primogenito, tam sedulo observare, licet ad id servandum ipsi non obligarentur. Docet igitur benedictionem Domini descendere super eos, qui præcepta Dei sedulo observare student; id quod olim promisit Deus, Deut. XXVIII. omnibus legem ejus servantibus: *Veniet super te, inquit, universæ benedictiones istæ, et apprehendent te (quasi fugientem etiam insecuturæ sint) si tamen præcepta ejus audieris: Benedictus tu in civitate, et benedictus in agro, etc.* Item: *Benedictus eris tu ingrediens et egrediens, etc.* recensetque ibi prælongum benedictionum catalogum: uti vicissim maledictionum iis, qui legem Dei spernunt. Porro Dei benedictio, non est aulica seu verbalis, sed realis et conferens omnem prosperitatem temporalem et æternam, tum in corpore, tum in anima, tum in fortunis. Eodem spectat, quod Psal. I. beatus dicitur ille vir, *cujus voluntas est in lege Domini*, hoc est, qui legem Domini serio sibi velut regulam proponit, in omnibus actionibus observandam. Miris certe præconiis extolluntur septem fratres Macchabæi, una cum eorum matre et doctore Eleazaro, in libro II. Macchabæorum c. VI. et VII. quod extrema et dirissima supplicia ferre maluerint, quam contra Dei legem suillam carnem edere. Ad quos jure et merito referimus qui et Dei et Ecclesiæ præcepta serio observant, ut malint etiam damnum aliquod temporale pati, (tametsi Ecclesia, pia scilicet mater cum gravi rerum jactura non obligat ad sua præcepta) quam ea prævaricari.

Secundo, quia vidit illos sistere Domino filium suum. Quicumque ergo parentes ita educant liberos suos, ut Deo ejusque servitio sistere illos ac demum in cælo præsentare possint, hi profecto benedictione cælesti digni sunt; quemadmodum Job, et Tobias. Verum ut hoc efficiant parentes observare debent clausulam hodierni evangelii, quæ Christum ait crevisse et confortatum esse plenum sapientia et gratia. Curent igitur parentes, ut eorum liberi crescant primo sapientia, mittantque eos ad templum et catechesin, ac domi instruant urganque ad

BIBLIOTHECA CENTRALIS U.A.N.L.

pietatem et virtutem. Sic luscina pullos docet modulos suos, versusque, quos imitentur, eis tradit audiunt vero pulli magna attentione et reddunt. In docendo apparet quaedam reprehensio, et in discipula emendata correctio; quod observatum scribit Aristoteles, l. IV. de animal. c. IV. Idque argumento est, quod non omnium sit idem cantus, et qui e nido præpropere sublatis matris educatione caruerunt, in concinnius canunt. Ita ergo matres suos doceant natos formare signum crucis, eoque ut Tertullianus loquitur, identidem frontem terere; doceant orare aliaque honesta exercitia. Neque dicant eos esse indociles, ludi in iis operam, etc. siquidem lusciniæ discunt matrum cantilenas easque varias et versatiles. Auctor est Coelius Rhodiginus, l. III. antiq. lect. cap. XXXII. extitisse Romæ in ædibus Ascanii cardinalis psittacum, qui articulatissime continuatis perpetuo verbis christianum symbolum pronuntiabat instar viri periti. Et non posset ista discere homo? Tam durum caput est psittaco, quam durum et rostrum; (unde ferreo radio verberari debet dum docetur) occur non etiam ii, qui sunt duri capitis discere eas saltem possint, quæ ad fidem spectant? Secundo gratia, docendo eos imprimis cane pejus et angue fugere et odisse peccata. Cujus etiam exemplum capere a bruto possunt. Cervæ editos partus exercent cursu et fugam meditari docent, ad prærupta ducunt iisque saltum demonstrant; ita doceant parentes liberos suos fugam vitiorum: sæpe inculcent illis id Sapientis: «Quasi a facie colubri fuge peccatum;» et id Blancæ reginæ Galliæ, toties filio Ludovico ingestum: «Mori te juvat potius, fili mi, quam peccare.» Et alias: «Quam malim te, fili mi, mortuum, quam peccantem!» Plurimum interest teneræ ætati, si talia parentum monita a teneris audierint.

Tertio, quia vidit eos venisse ad offerendum Deo munus pro filio. Munus Deo oblatum benedictionem promereri vel hoc argumento esse potest, quod ipsum vocetur benedictio, l. Reg. XXV. et XXX. ubi ait David: *Accipite benedictionem de præda hostium Domini.* Qui ergo benedictionem Deo, id est, munus offert, benedictionem utique recipiet. Et hinc etiam Abraham et Jacob tam multiplicem benedictionem obtulerunt a Domino, quia obtulerunt ei decimas; ille Gen. XIV. hic Gen. XXVIII.

III. Quomodo Christus positus est in ruinam multorum? Resp. positum esse in ruinam, non ex Dei consilio, qui vult omnes salvos fieri; sed ex eventu, eo vero tam certo, ut divino consilio tribui posse videatur, quasi de industria fuerit Christus in terram missus, ut reprobi in eum impingerent. Quia enim viderunt ejus

humilitatem, paupertatem, mortem, noluerunt eum recipere et agnoscere Messiam, quem ex depravatione sensus sui expectabant magnificentum, opulentum, instar Salomonis, a quo in terris ditarentur et bearentur. Visa autem ejus humilitate cogitabant, quomodo nos iste beabit? Quomodo ab hostibus defendet et liberabit? Hinc Christus factus est eis *lapis offensivus et petra scandali*, ut dicitur, Isa. VIII. et ad Rom. I. non sua sed ipsorum culpa, quomodo lapis præ hospitii foribus positus in quo advenæ conscendere equos solent, vel in publica via defixus ad monstrandum iter, facili negotio in ruinam alteri sit, si quis in eum ebrius vel cæcus impingat; quod tamen lapilli minime tribuendum, sed cecitati et incuriæ impingentium. Christus lapis est, in quem si per fidem ascendamus, conscendere cælum possumus; lapis est demonstrans nobis viam cæli. At in eum primo impegunt Judæi, quia humilem et pauperem viderant, divitem optabant: impegunt Pharisei, quia suam hypocrisin ab eo deprehendi et reprehendi audierunt; impegunt avari, quia divitias ab eo dissuaderi adverterunt; impegunt gentiles, quia in cruce mortuum intellexerunt, et idola sua ab eo damnari viderunt, etc. Hos sequuntur Christiani multi, qui præcepta ejus negligunt, qui ejus sacramenta spernunt vel profanant, execrantur et blasphemant, qui in tribulatione positi Christum ejusque verbum, sacra et sacramenta fastidiunt, etc. Salutaris fuit Judæis serpens æneus, cum a Moysse effictus: at postea iisdem factus est lapis offensivus, quando ei incensum adolebant et divinos honores impendebant. Unde confringi propterea a rege Ezechia debuit. IV. Reg. cap. XVIII. Ita sæpe Christiani salutaria sacramenta sibi vertunt in ruinam et condemnationem, dum ea vel blasphemant, vel sacrilege percipiunt. Quis in causa, nisi ipsimet?

IV. Quomodo Christus signum, cui contradicetur? Respondeo, videri mihi Christum non absimile signum fuisse signo crucis suæ, quod monstravit in cælo Constantino Magno, cum hac epigraphe: «In hoc vinces.» Tali enim signo deinceps Constantinus usus est in præliis pro vexillo seu labaro, vicitque ejus præsidio omnes suos hostes et inimicos crucis Christi. De eo scribit Nicephorus, lib. VII. c. XXXVII. jussisse Constantinum ut præferretur aciei in prælio, quod gerebat cum Maxentio, dum subdit: «Salutifera hæc armatura, cum sic Constantini aciem præiret: Maxentius suis præcepit ut quicumque collimare certoque jaculari posset, in signum id tela conjicerent, atque in ipsum confestim cum impetu ferrentur. Quapropter is, qui id ferebat (dicitur autem Græcæ superstitionis fuisse) metu percussus alteri id

ferendum tradere festinavit. Atque ibi alter quidam patre martyre prognatus, alacriter admodum prosiluit, thoracem et galeam longe a se abiecit, solaque tunica tectus signum crucis arripuit. Porro ille, qui sibi a telorum ictibus caverat, lethali vulnere accepto concidit; qui vero sacramentum crucis signum ferebat, quamvis densa nivis instar tela in eum conjicerentur, a nullo tamen est vulnere atus: nam præter opinionem omnem, divina quadam virtute, tela ab hostibus emissa, hasta signi illius atque impacta ab eo, qui id ferebat, in medio armorum discrimine versante avolabant. Hæc Nicephorus, prorsus consentanea iis, quæ ipsemet Constantinus narravit Eusebio, testatur ipse in vita Constantini, lib. II. cap. VIII. Hujusmodi, inquam, signum Christus ipse fuit, positus et manifestatus in hoc mundo, ut omnes qui credunt in eum non pereant, sed vincant hostes suos, præsertim spirituales. At vero diabolus velut alter Maxentius incitavit suos milites, ut in istud signum omnia sua tela jacerent, sive verbis, sive factis. Verbis et factis contradixerunt ei Judæi, gentiles, hæretici. Factis contradicunt multi Catholici, qui contrariam Christo et fidei suæ vitam ducunt. Aspiciamus Christum in stabulo natum et positum in præsepio: nonne videmus eum paupericulum et pannis involutum? Et quomodo ei non contradicunt, qui alieni rapiunt et divites fieri volunt? Nonne videmus humilem, a divorsio exclusum, stabulo contentum? Et quomodo ei respondent, qui palatia sibi adornant, serico vestiuntur et ubique primi esse volunt? Nonne videmus nudulum jacentem in præsepio tempore hiemali? Et quomodo non contradictionis telum in eum jaculantur, qui carni suæ blanduntur, et molliter cubare, splendide epulari nihil denique pati volunt? Aspiciamus Christum in cruce stantem, quanta illic contradictio? Quot tela in eum vibrata? Denique qui fidem Christi deserunt, nonne Christo contradicunt? Sed invictum est hoc signum, invicti quotquot ei strenue et firmiter adhærent. Eos vero a quibus oppugnatum est, convincet suo tempore: et quemadmodum labarum Constantini, de quo diximus, Maxentium in fugam egit: ita etiam Christus judex ex cælo venturus fugabit inimicos suos, et monstrabit eis tela, quibus confixus fuit. Quid tunc dicent jaculatores et contradictores illi, cum videbunt eum esse iudicem suum, cui tam contrarii fuerunt? Nonne humilem iudicem metuent superbi? Pauperem avari? Patientem delicati? Quisquis ergo iudicem hunc metuere non vult, ne illi contradicat.

V. Quisnam ille gladius animam Deiparæ penetraturus? Resp. esse dolorem, quem propter

filium mater maxime sub cruce expertura erat. Is vero triplici ex capite acerbissimus fuit; primo quia diuturnus, et hinc vocatur gladius; secundo quia acutissimus, et hinc dicitur ipsius matris animam sauciaturus; tertio quia universalis, omnes animæ vires et sensus occupans: et hinc dicitur pertransiturus virginem. Diuturnus ergo fuit, quia instar oblongi gladii tandem eam afflxit, quamdiu Christus vixit. Præcivit enim Deipara et vel a Simeone didicit, filium ejus in cruce dirissime necandum: unde perpetuo quasi sub ipsius cruce stetit, et horam illam tristissimam semper animoolvebat, semper expectabat. Taceo dolores alios, quos usque ad Domini passionem ipsius causa sustinuit, ut cum in Ægyptum fugit ab Herode ad ignotos et barbaros populos, cum eum triduo perdidit, cum contumelias filio irrogatas audivit, cum variis cruciatibus afflicto et ad Calvarie montem eductum vidit, cum denique morienti adstitit.

Secundo acutissimus fuit, quia non passionis, sed compassionis fuit, adeoque non corpus, sed animam sauciavit, quæ tanto acrius sensit filii dolores, quanto magis ei per amorem unita et simul corpore præsens erat, omniaque suis coram spectabat oculis. Rursum quia tanto filio, cujus dulcissimæ conversationi per 33. annos assueverat, quique ipsi instar omnium erat, per ejus mortem destituenda erat. Tertio universalis, quia omnes animæ vires, potentias et sensus pervasit ac pertransiit. Quemadmodum enim Christus in omnibus membris, in omnibus animæ viribus, in omnibus sensibus peculiare habuit cruciatum; ita eos in se quoque persensit ejus mater. Omnia passionis instrumenta, omnes ictus, omnes contumelias, omnes foetores, omnis amaritudo fellis et acetæ, in oculis, aures, nares, os, et ipsum denique ejus cor incurrerunt.

VI. Quomodo crevit Christus infans? Resp. ætate solum et statura, non item usu rationis et sapientia, ita nimirum, ut more aliorum puerorum paulatim sapere inciperet, uti vult Calvinus; siquidem in ipso matris utero plenum rationis usum habuit et plenus omni sapientia fuit, primo quia Jer. XXXI. de ipso dicitur: *Femina circumdabit virum.* Fuit ergo tunc vir, non mole corporis, sed sapientia et gratia. Secundo ad Hebr. X. ait de eo Paulus: *Ingrediens mundum dicit: Hostiam et oblationem nolui, etc.* Ergo tunc jam usum rationis habuit, quo se Patri obtulit. Denique si Joanni Baptistæ datus est rationis usus in utero matris cum Christum et Deiparam salutavit, Christo eum negabitur?